





1751, 2. 17.

PROCANCELLARIVS  
IOHANNES GODOFREDVS  
BAVER  
S V M M O S  
IN VTROQVE IVRE HONORES  
CLARISSIMO CANDIDATO  
IOHANNI FRIDERICO  
LOEFFLERO

ZWENCKAVIENSI

D. XXVII. APR. CIOIDCCLI

T R I B V E N D O S

I N D I C I T

*de iure protimireor quatenus in feudo alienabili  
domino, agnatis et simultanea investitis competat?*



PROFANISCHEN ARTS  
JOHANNES GÖTTSCHEW  
BAYER

VERLAG VON  
JOHANNES GÖTTSCHEW  
MÜNCHEN  
1845





am domino, quam agnatis et simul inuestitis,  
 jus protimiseos in feudo competit regulariter.  
 Tantum modo agnati et simul inuestiti in ejus  
 exercitio domino praeferuntur. *II. F. 9. §. 1. II. F. 3. §.*  
*sed etiam. II. F. 26. §. Titius filios. P. II. CONST. EL.*  
*SAX. 48. EDICT. TORGAV. de anno 1583. Tit. Welcher-*  
*gestalt die agnaten. §. so viel erstlich die agnaten vnd mitbe-*  
*lebten. Resöl. grav. d. ann. 1661. Tit. von Justitien Sa-*  
*chen. §. 71. add. sentent. post Weichbild sub rubric. der Lehn-*  
*berr hat in denen Gütern die von ihm zu Lehn rühren, den*  
*vorkauff. fol. 104. edit. Zobel. de ann. 1537. Cujus rei cauf-*  
 fa probabiliter ponitur in fauore juris succedendi, ex do-  
 minio directo, sanguine, vel inuestitura simultanea descen-  
 dentis, et aequitatem prae se ferentis, beneficium venale  
 potius ad eum, qui alias est successurus, quam ad alium  
 extorem transferendum esse. *HORN I. F. c. XX. §. 2.*  
*STRVV S. I. F. c. XIII. aph. 22. n. 1. Dum ergo agnati et*  
 pari ratione simul inuestiti dominum in successione praece-  
 dunt, merito quoque ante eum jure gaudent protimiseos.  
 Quae ratio quum filiis vasalli prae agnatis faueat, etiam illis  
 ante agnatos jus protimiseos, vel retractus, secundum jus  
 commune, competere, asserunt plures. *ROSENTHAL*  
*c. IX. concl. 88. STRYK d. S. A. I. D. VI. c. 2. n. 15. HORN*  
*d. l. §. 3. seqq. STRVV d. l. Quia vero jus protimiseos*  
 est jus singulare, libertatem de clientela disponendi magis

restringens, hinc strictae interpretationis, et sine expressa juris sanctione non statuendum, qua de re argumentatio a lege, vel consuetudine peculiari, quae jus protimiseos filijs expresse vel in specie tribuat, deficiente, ad juris illius negationem bene procedit, praecipue, vbi in *d. II. F. 26. §. Titius filios.* asseritur; *eo casu*, quo vasallus alienans habet filios, *agnatum pretio restituito recuperare feudum posse*, neque vero filiis alienantis idem jus adscribitur: inde magis mihi placet sententia HARTM. PISTOR. *L. II. qu. 12. VVLTTEL. d. feud. L. I. c. II. n. 88. BITSCH commentar. jur. feud. add. cap. Titius filios.* aliorumque, qui filios juris protimiseos expertes dicunt. In Saxonia Electorali quidem secus se res habet, spectato jure protimiseos in feudo auito, ob *CONST. EL. 31. P. II.* cui postea per edictum Torgauense *d. l. derogatum* non est, quandoquidem hoc, tanquam jus correctorium, ad jus retractus facili negotio restringitur. *HORN d. c. XX. §. 5.* Verum tamen quum in feudis, quae non sunt auita, sed ab alienatore, vel minimum ejus patre adquisita, jus commune sit sequendum, secundum ea, quae probavi, filii non solum *juris retractus*, vi cuius venditio consummata rescinditur, et feudum emtori traditum, pretio, quod ille dedit emtori, et quod impensae in rem factae non modicae augment, cujusque partem referunt, *arg. l. 12. d. impens. in rem dotal. fact.* restitutis, intra annum civilem, a tempore adeptae scientiae specialis computandum, nimirum spatium 52. septimanarum, reuocatur, *d. II. F. 26. §. Titius filios. DEC. EL. SAX. XI. EDICT. TORGAV. d. l. STRVV d. l. aph. 21. n. 3. HORN d. l. §. 7. seq. CARPZOV P. II. C. 50. d. 1.* sed et *juris protimiseos*, quo consummatio venditionis, cum extraneo emtore celebratae, impeditur, et venditor, vt jure isto gaudentem extranei loco accipiat emtorem, compellitur, *d. II. F. 3. §. sed etiam. II. F. 9. §. 1. V. F. 13.* etiam in his terris incapaces

ces sint oportet. Inprimis ergo jus protimiseos, vel retractus, domino, vel agnatis et simul inuestitis in feudo competens est obseruandum. Quod ad dominum attinet, non dicas, eum post constitutiones Lotharii et Friderici II. F. 52. et 55. jure isto destitui. Continet quidem capitulum II. F. 9. §. 1. jus, quod ante prohibitam d. II. F. 52. et 55. per Lotharium et Fridericum beneficii alienationem obtinuit, quo cliens, secundum nonnullarum curiarum feudaliū consuetudinem, dimidiam clientelae partem, quin, more aliarum, totum feudum ex causa necessitatis, domino inscio et inuio, alienare potuit. WILH. LEYS. *de jur. protim. quod domino feudi competit. c. II. verb. sive de bona consuetudine, sive de praua quaeramus.* Attamen aliud est facultas domini, in exercitio juris protimiseos consistens, aliud facultas uasalli, feudum vel totum, vel quoad partem, sine consensu domini vendendi, quae non sunt confundenda. Quia posterior facultas jure nouo per constitutiones Lotharii et Friderici uasallo adempta est, non sequitur, jus protimiseos ex more ueteri domino competens insimul sublatum esse. Quod enim non mutatur, quare stare prohibetur? l. 27. C. d. *testam.* Neque uero fundamentum juris praelationis, in emendo feudo domino competentis, quod fingit LEYSER d. l. c. III. §. 1. 3. quasi jus protimiseos, vel retractus sit compensatio iniuriae, quam dominus per alienationem se inuito susceptam patitur, recte se habet. Fundamentum hujus rei nihil aliud est, quam consuetudo, cujus certa ratio, uel causa finalis dari nequit. Unde ratione, quam ICTUS fingit, cessante, non etiam ipsa cessat consuetudo, quia est dubium et incertum, an uera sit excogitata consuetudinis ratio. Fautor juris succedendi est ratio juris protimiseos magis probabilis, quae perinde ad agnatos, ac ad dominum quadrat, et fauor iste non minus, post prohibitam per Lotharium et Fridericum alienationem, pro domino militat. Neque in con-

fuetudine, vi cuius vasallus feudum totum, vel partem sine domini voluntate alienare valet, vera latet injuria. Iuris enim executio non habet injuriam. *l. 13. §. d. injur.* Non vigeas porro, consensum domini in alienationem feudi sua vi renuntiationem juris protimiseos inuoluere. Quod non est verum, nisi dominus nactus specialem emtionis venditionis cum aliquo celebratae, omniumque ejus pactorum scientiam, istum contractum consensu confirmet. Quippe quo facto demum se obligat, ad negotium clientelare cum emtore et nouo vasallo ineundum, v. *Disp. d. indol. et nat. investit. feudal. §. I.* qua de re fidem promissi violare nequit, juris protimiseos, vel retractus exercitium praetendens. Longe alia feudi alienabilis est facies, quando dominus in genere in futuram beneficii alienationem per priuilegium, vel litteris inuestiturae, vel alias pacto consentit. Nam talis consensus non illico renuntiationem juris protimiseos, vel retractus inuoluit. *WESENBECK. P. II. C. 73. n. 46. HORN d. l. §. 10.* Quod etsi adhuc disputationis ferram acerrimae subeat: verissima tamen est sententia, dominum in ejusmodi visione a jure feudum reluendi, et multo magis a jure protimiseos, non remouens. *THOMASIVS d. feud. alienab. §. XXXII. XLI. seq.* Nam dominus de venditione, tempore dati consensus generalis incognita, non deliberare, nec, an condiciones, ab extraneo oblatae emtore, accipiendae, et juris protimiseos vel retractus exercitio dignae sint, inquirere potuit, quae specialis requiritur scientia, quia praescriptio juris protimiseos, vel retractus non currit, nisi a tempore illius scientiae. *I. F. §. 1. d. II. F. 26. §. Titius filios.* Unde consensus in genere dati non alia est coniectura, quam, dominum clientelam, in posterum alienatam, jure domini directi et ex causa commissae feloniae reuocare nolle, praesertim, quia in genere consentiens non fatetur, se venditionem cum quouis emtore celebrandam  
per-



permissurum esse, nec vtendo jure protimiseos, vel retractus reprobatur alienationem, vel fidem laedit datam, sed tantum praelationem alterius emtoris impugnat, cui fauori expresse non renuntiauit, et cuiusmodi renuntiatio in dubio non praesumitur. Accedit, quod vasalli alienantis non interfit, an pretium ab extraneo emtore, an retrahente accipiat. Nemo objiciat, *liberam* alienandi facultatem, quae concessa, non dici posse *liberam*, dum per jus restricta est protimiseos, potius contradictionem committi in adjecto, si alienatio dicatur *libera*, quam dominus una largiens manu, altera impedit et retractat; deinde proprie alienationem dici, qua res transfertur in emtorem, vt ab eo reuocari nequeat, ad quam consequendam et ab emtore reuocandam quum jus protimiseos, vel retractus tendat, huic ipsi eodem renuntiarum facto, quo facultas alienandi datur; denique omnes sub genere comprehendi species, *l. 147. d. R. I.* adeoque dominum, qui vi potestatis alienandi in genere concessae quascunque, quae futurae sunt alienationes, ratas habere spondet, non minus adprobare alienationem, juris nesciam protimiseos. Vltimum hoc argumentum leuioris est momenti, quia vsu caret, quoties stricta locum inuenit interpretatio, vi cuius generalis non generatim accipienda est locutio, sed ad pauciores, quoad fieri potest, species restringenda. HORN d. interpret. jurid. c. IV. §. 1. 9. Dum igitur in causa, qua de renuntiatione juris domino competentis agitur, versamur, non dubites velim, generalem domini concessionem non de omni, quae sub genere comprehenditur, specie, sed ita accipiendam esse, quo minus domino praedjudicetur, adeoque, in quantum est possibile, strictissime. Sat graue est praedjudicium, quod ex generali consensu, vel concessione dominus sentit, dum fauore *II. F. 52. et 55.* fundato non fruitur, nec penitus alienationem beneficii prohibere, multoque minus impedire potest, ne vasalli, quem adprobauit,  
fi-

fides et seruitia sibi subtrahantur. Non ipsi imputandum est, ut aliud adhuc incommodum sustineat, et porro careat jure protimiseos, cui expresse non renuntiauit. Minime vero cum THOMASIO *d. feud. alienab. §. XXXI.* stricta interpretatione ita abutaris, ut jus in feudum alienabile venditum, postquam linea venditoris extincta, jure domini directi succedendi, idemque ab emtore et ejus successoribus reuocandi, domino competere existimes. Quod si competeret, potestas alienandi generatim concessa reuera contradictio foret in adjecto, et dominus, quod vna largitus est manu, altera eriperet, quum vera et perfecta non sit alienatio, qua clientelam emtori habere non licet, sed is metuere debet, ne illa sibi post interuallum sine reuisione pretii auferatur, vnde futurum est, ut vasallus emtorem, istud suscipientem periculum, non inueniat, nec fructum concessae sentiat potestatis. Quem fructum dominus, qui jus exercet protimiseos, non adimit, quia pro feudo pretium ab alio oblatum soluit, perpetuo apud venditorem permanens. Quodammodo quidem jus protimiseos grauat alienationem, ita, ut non absolute sit libera. Quia vero gradus libertatis sunt plures, nec dominus, alienandi libertatem concedens, illico ad supremum se obligat libertatis gradum, hinc iniuste queritur vasallus, cui, ob naturam et strictae indolem interpretationis, minor libertatis gradus, scilicet potestas alienandi, jure circumscripta protimiseos, indulgetur. Nec porro excipias, alienationem non esse veram, qua res in emtorem non transfertur sine metu reuocationis. Quodsi nemo sine periculo reuocationis beneficium acquirere possit, iusta foret vasalli querela. Postquam vero domino clientelam jure protimiseos emtam vel retractam habere licet, neque ipsi euictio metuenda est, dein extraneo emtori, a quo feudum jure reuocatur protimiseos, vasallus vendens euictionem non praestat, STRYK.

*Vf. Mod. Pand. L. XXI. tit. 2. §. 39. MULLER ad Struv. Ex. XXVII. rb. 34. lit. C. BEYER Delin. jur. germ. L. II. c. 21. §. 8.* hic libertate beneficium pro vero pretio, quod alius obtulit, ad dominum sine euiictionis metu transferendi, sicque veram perficiendi alienationem, contentus sit necesse est. Et sic non adparet solida inter dominum et agnatos, iure sanguinis in feudum succedentes, diuersitatis ratio, siue quaestio sit de feudo alienabili, quod primus acquirens sub lege liberae facultatis alienandi adquisiuit, in quod omnes ejus descendentes, etsi imposterum vasalli alienantis agnati sint, non succedunt, nisi ipsis a possessore sit relictum, potestate vero id jure delatae successione post vasalli alienantis lineam extinctam, ob neglectum eorum consensum, reuocandi destituuntur, quia primus acquirens, legem liberae alienationis paciscens, hoc facto eam potestatem illis non quaesuit, siue quaestio sit de feudo, quod quidem secundum regulam alienari nequit, agnati vero litteris reuersalibus, aliove pacto vasallo alienandi potestatem dederunt. Etsi enim THOMASIVS *de feudo alienabili §. XXXIII.* ne quidem ratione adducta, agnatis jus protimiseos denegare videatur: mox tamen ostendam, similes, quae domino, etiam illis patrocinari rationes. A quibus differunt simul inuestiti, tam in feudo alienabili proprie sic dicto, quam in eo, quod vasallus vi pacti, vel litterarum reuersalium a simul inuestitis acceptarum alienat. Nam domino, etiam feudo vendito, saluum est dominium directum, respectu cuius jus exercet protimiseos, quamvis alienationem sub poena priuationis et reuocationis feudi prohibere nequeat. Similiter agnati sanguinis retinent favorem, neque agnati esse desinunt, etsi imposterum feudum alienatum jure delatae successione reuocare nequeant, quippe quod non est impedimento, ne etiamnum jure agnationis, quod ad exercitium protimiseos, vel retractus attinet, vtantur. E contrario feudo simul inuestitus alienabili inuestituram simultaneam sub

B

con-

conditione acquirit resolutiua, *vid. Disp. de forma ac definit. commun. Saxon. man. §. IV. §. XII. seqq.* Quae, quum facta alienatione rescindatur, nullum porro producere potest effectum, nec adeo sub praetextu communis manus jus protimiseos ab eo exerceri potest, qui ea destituitur. *arg. l. 4. §. 3. l. 6. pr. d. in diem addict. junct. l. 4. C. de pact. int. emtor.* Et licet haec ratio in oculos incurrat: non tamen ea excludere videtur simul inuestitum, qui pacto alienandi potestatem dedit, quia haec lex inuestiturae non est adiecta. Quicquid id est, nuda conuentio non minus, quam quae inuestiturae dat legem, communem resoluit manum. Nam simul inuestitus, quo ipso potestatem concedit alienandi, profitetur, se facta alienatione vsum inuestiturae simultaneae non appetere. Ad quam promissi fidem seruandam vti obligatur: ita, qui vsum communis manus non habet, et non minus nudo se eo destituit pacto, nullum porro inuestiturae habet effectum, neque adeo meliori gaudet iure, quam qui in feudo alienabili communem adeptus est manum. Quam sententiam aperte tuetur CONST. EL. SAX. 45. P. II. ibi: *Soll durch solche alienation die gesamte Hand nicht gebrochen seyn, es hatte dem der, so sie hat, in solche Verenderung, krafft eines vorbergehenden pacts, Verschreibung, Reuers, oder sonst hernach gewilliget.* Adde FIS GEBAVER. *de iure reuendi per generalem consensum simultaneae inuestiti in alienationem feudi extincto. §. XVI. et XIX.* Cui frustra se opposuit TENTZEL *d. iur. protim. simult. inuest. post litter. reuersal. d. liber. feud. alien. facult. datas competente. §. XII. seqq.* Nam rationes a me adductae sufficiunt ad euincendum, simul inuestitum, per consensum generalem in futuram feudi alienationem, subsecuta alienatione, inuestituram simultaneam et cum ea ius protimiseos amittere. Eandem sententiam porro comprobant et praedictis confirmant HARTM. PISTOR. *L. II. qu. 12. CARPZOV P. II. c. 49. d. 6. BERGER El. Disc. For. p. 1807. P. I. Suppl. p. 426. P. II. p. 759.* Dummodo obserues, plures ab iis pariter, ac a GEBAVERO, coaceruari rationes, quae

eo collineant, dominum et agnatos per consensum generalem juri protimiseos renuntiare. Quam sententiam quum meam facere, justis, vt opinor, munitis rationibus, dubitauerim, in quaestione de simultanea inuestitis non alio, quam quo id peregi, modo rationes esse subducendas aio. Neque aliud obtinere arbitror, si ad certam pecuniae summam communis manus sit adstricta, ita, vt vassallus de feudo tantum, quatenus summam istam excedit, disponere, idemque alienare possit. Nam facta alienatione nihilominus resoluitur inuestitura, quae inuestito in feudo alienato competeat, simultanea, ita, vt haec non, nisi in conuenta pecuniae quantitate, tanquam surrogato subsistat. Secus est, si talismodi simul inuestito jus protimiseos vi conuentionis expressae, inter ipsum et vassallum initae competeat. Tum enim communis manus non resoluitur, quia simul inuestito inuito jus protimiseos pacto quaesitum auferri nequit. Iam fac, per conuentionem ante feudi alienationem, vel oppignorationem initam, determinatum esse pretium, quod a simul inuestito, jure protimiseos vtente sit exsoluendum. Creditor, cui feudum pro maiori summa a vassallo, sine simul inuestiti consensu oppignoratur, non est securus, quia facta subhastatione simul inuestito integrum est rem clientelarem sub hasta venalem pro pretio conuento emere, aliosque emtores pinguiore excludere, ut deinde creditori non, nisi ex pretio isto, quoad sufficit, satisfiat, sicuti respondit *F. I. L. mens. Mart. 1747.* quaerenti *G. S. v. B.* Plura addere non vacat. Sed jam commendandus est, cujus causa haec in publicum prodit scriptio, candidatus dignissimus,

### IOHANNES FRIDERICVS LOEFFLER

qui natus est Zwenckauiae, Episcopatus Martisburgensis oppido, die 17. Apr. anno hujus seculi decimo, honestis parentibus, patre GEORGIO LOEFFLERO, memorati oppidi praetore, matre vero ANNA IVSTINA, IOHANNIS FRIDERICI STRAVBII, praetoris  
Zwencka-

Zwenckaiensis filia, et matre orbus carum adhuc veneratur patrem. Primis litterarum rudimentis in solo natali jactis, ille Lipsiam delatus, in schola Nicolaitana, quam tunc temporis CRELLIVS sua doctrina et prudentia moderatus est, ab ore praeceptorum inferiorum per quadriennium, et quod excurrit, pendit. Dehinc in lyceum Martisburgensē receptus, institutione atque doctrina magistrorum, vsq; rectoris, et HENCKELII conrectoris, omni litterarum elegantiorum genere, vsus, anno MDCCXXX. academiam petiit Lipsiensem, et, a D. IOHANNE SCHMIDIO, tunc rectore magnifico, albo ciuium academicorum adscriptus, in praeceptis philosophicis ex MVLLERI, in jurisprudentia vero GRIENERI, GEBAVERI et IOACHIMI praelectionibus profecit academicis. Quo cursu finito, primum studiorum mōrumque praefecti munere iuuenis generosi, IOHANNIS CHRISTOPHORI SICHARTI de SICHARTSHOFEN, Noribergensis, per aliquot annos functus, deinde parem functionem in iuvene generoso, IOHANNE GEORGIO de SCHMIDT, nunc Potentissimo Poloniarum Regi et Electori Saxoniae a consiliis aulae et iustitiae, obiit. Iam summos in vtroque jure honores ambiens, vtrumque examen magna cum laude superavit, dignissimus ab ordine nostro iudicatus, qui voti fieret compos. Cras igitur *d. 26. Apr.* in auditorio ICtorum hora secunda pomeridiana *l. vlt. C. d. donat. caus. mort.* publice interpretabitur, et *die sequenti 27. Apr.* disputationem inauguralem, *de mortis causa capionibus*, sine Praefide defendet. Quo facto collega aestumatissimus, D. DIETERICVS GOTTHARDT ECKARDT, Facultatis iuridicae assessor, cui vice Cancellarii potestatem promouendi concessi, jura et priuilegia Doctorum, excepto jure ad sessionem in nostro collegio adspirandi, ipsi tribuet. Quae solemnia vt RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, COMITES ILLUSTRISSIMI, et *viriusque Reipublicae Proceres* praesentia sua ornent, *generosissimi ac nobilissimi Academiae ciues* vero simul celebrent, obnixè rogo. Dabam Lips. Domin. Misericord. MDCCLI.

ULB Halle  
005 361 842

3









1751, 2. 17.

PROCANCELLARIVS  
IOHANNES GODOFREDVS  
BAVER  
S V M M O S  
IN VTROQVE IVRE HONORES  
CLARISSIMO CANDIDATO  
IOHANNI FRIDERICO  
LOEFFLERO

ZWENCKAVIENSI

D. XXVII. APR. CIOIOCCLI

T R I B V E N D O S

I N D I C I T

*de iure protimicoor quatenus in feudo alienabili  
domino, agnatis et simultanea investitur competat?*

